EXAMINIS

ANNI MDCCCXXVI

VERNALIS IN GYMNASIO MERSEBURGENSI
SOLENNIA CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

CAROLUS FERDINANDUS WIECK
RECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMISSA EST COMMENTATIO

DE

TERTIAE DECLINATIONIS GRAECAE ET LATINAE GENERIBUS

AUCTORE

FRIDERICO AUGUSTO LANDVOIGT
CONRECTORE.

MERSEBURGI
LITERIS KOBITZSCHII.

COMMENTATIO

DE

TERTIAE DECLINATIONIS GRAECAE ET LATINAE GENERIBUS

AUCTORE

FRIDERICO AUGUSTO LANDVOIGT
GYMN. MERSEBURG. CONR.

MERSEBURGI
LITERIS KOBITZSCHII.
MDCCCXXVI.

Duplex eorum, qui linguae alicujus praecepta tradere conantur, est negotium: alterum, ut singula, qualia sint, explorent et similia colligant segregentque dissimilia; alterum, ut omnia, quam fieri potest, simplicissimis et aptissimis regulis tum complectantur, tum distinguant. Cujus rei exemplum inde statim petam, unde libelli hujus, postquam scribendi partes ad me delatae sunt, argumentum non diu deliberanti exortum est, id est, ex loco illo artis grammaticae de genere nominum substantivorum. Quum primum enim in eam adductus essem suspicionem, non satis commodas esse, quae de generibus proponerentur regulae, intellexi, priusquam quid novare auderem, opus esse, ut quam plenissimam nominum copiam colligerem, et ad quamlibet vel similitudinem vel dissimilitudinem animadvertendam ita disponerem, ut inde, quas quaererem, regulae sponte quasi prodirent. Ad hanc rem, quod Latinam linguam attinet, duo potissimum libri utiles mihi fuerunt, alter Joachimi Langii me puero adhuc in scholis unus omnium pervulgatissimus, ob additum qualemcunque vocabulorum indicem secundum terminationes digestorum; alter doctissimus et operosissimus Leopoldi Schneideri, intempestiva auctoris morte interpellatus, in quo excitatis veterum scriptorum et grammaticorum testimoniis singula ita pertractata sunt, ut vix quidquam in dubio positum relinqueretur. Graecorum nominum, quum neque similem Langiano indicem paratum viderem, et nonnunquam ne ea quidem, quae a majore suae terminationis numero genere discederent, ita reperirem enumerata, ut aut nihil aut pauca deesse constaret, ipse manus adjeci ad instruendum, qualem desiderabam, nominum apparatum. Neque licuit tamen per temporis angustias exhaurire majorem aliquem Schneideri vel Passovii thesaurum: sed quantam Nizzii, quod ad manus erat, vocabularium tertiae declinationis (nam in hac subsistere decreveram) nominum substantivorum copiam praestaret, eam in

tabulas meas retuli, passim adspersis, quae inter versandum Passovii lexicon oculos incurrerent, qui vel ea de causa saepius erat consulendus, ne forte errores a Nizzio in adscribendo genere subinde commissi in indicem meum irreperent. Non neglecta, quae Fischerus in animadversionibus et quae Matthiae tradidere: sed opportunissimus fuit consilio meo Spitzneri de quantitate liber; Göttlingii similis de accentu colligendi demum et disponendi labore defuncto mihi oblatus est, nec deest tamen, quod illi acceptum referam. His igitur indicatis, quibus usus sum, praesidiis, nihil hic, qui me legent, circa ullius nominis genus e veterum lectione recens observatum inventuros sponte confiteor: qua re fortasse a non paucis majorem gratiam, quam de regulis emendandis pro virili quaerendo eram initurus. At ego de singulis in grammaticorum hujus aetatis doctissimorum auctoritatibus, ubi consentientes vidissem, acquievi: nihil propriae annotationis additurus, nisi si forte eos inter se satis conciliare non potuissem. Hoc igitur, quo scilicet potuissem ad artem grammaticam nonnihil juvandam quodammodo idoneus videri, quum ipse a me ne requiratur, deprecer: ea re, quam me aggredi sum professus, vereor, ne non modo operae pretium non esse facturus, sed implicare potius atque impedire, quae plana sint ac facilia, videar; quaereturque ex me fortasse, nunquid aut ad rei cognitionem verius aut ad docendi rationem aptius me prolaturum esse sperem, quam summos illos viros, qui nostra aetate artem grammaticam scriptis suis illustrarunt? Id qui mihi objiciat, si de Graecis monitum velit, haec quidem respondeo. De primae Graecae declinationis generibus verbo res confecta est; de secunda luculenter tractavit Buttmannus (ausf. Gramm.): utramque, ne illum exscriberem, ego intactam reliqui. Idem in tertia satis habuit, ubi manifesta quaedam terminationum cum genere esset conjunctio, commodis eam praeceptis explicare: in multiplici praestantissimi operis labore eos non moratus, qui huic loco singulare quoddam studium vellent impendere. Ceterum ad ea cognoscenda, quibus opus esset ad consilium meum, Buttmanni liber multis modis mihi utilis fuit. Thierschius vero eam rationem ingressus est, quam et ipse sequor, ut genera secundum characteres nominum examinaret, vocalibus in subsidium vocatis. Itaque utriusque viri auctoritate tueri me possum, illius, quod eas regulas, quae nimiis exceptionibus urgerentur, missas fecerit, pluribus simul, de quibus exacte praecipi posset, commode inter se comparatis; hujus, quod de accuratiore regularum secundum characteres et vocales dispositione coeperit cogitare. In Latina vero lingua etsi magna cura prospectum est a grammaticis, ut non per lexica solum dispersam generum notitiam paulatim colligere cogeremur, sed ex ipsorum

libris plenam uno quasi haustu petere liceret, eum tamen regularum ordinem desiderabam, qui ad characteres, ad quantitatem respiceret, qui monosyllaba a dissyllabis, Graeca a Latinis separaret. Ad horum aliud alium et alium alio magis attendisse, id quidem concedo: sed conjungendae videbantur universae hae rationes, quibus efficerentur regulae quam paucissimis obnoxiae exceptionibus et quae in re, si obiter inspiciatur, temeraria neque ulla certa ratione temperata naturae quendam ordinem referrent. Id si assecutus fuero in utraque lingua, futurum arbitror, ut eadem, quae verior, simplicior quoque et ipsis pueris facilior ratio aut judicetur esse aut data opera reddatur, inverso docendi ordine, ut non incipiatur a genere, sed ab accuratiore terminationum notitia. Sed jam nimium fortasse in tanta et libelli brevitate et argumenti tenuitate praefatus veniam ad propositum.

Discernuntur in singulis vocibus duae partes, altera, quae materia est vocis et quasi substantia; altera huic annexa, qua formatur materia in certae cujusdam partis orationis speciem et si vox est flexibilis, exprimitur flexio. Sed hic agitur de nomine substantivo, cujus quae sunt partes, altera, materia vocis, vulgo dicitur radix (nec recedam a consuetudine), altera, accedens ad illam, terminatio est vel formativa (condonabitur enim brevitatis studio, ut his vocabulis utar) vel flexiva, quarum illa cum genere conjuncta est. Atqui quum in re grammatica maximeque in loco de genere non liceat uniuscujusque vocabuli originem repetere et anquirere ex obscuriore saepius fonte deductionem, decernendum est, quot aut quibus in extremitate nominis literis terminationem contineri dicamus. Jam primum in monosyllabis vocalem terminationis esse nego. Radix enim nominis vocali carere non potest; unde, si una est vocalis, non potest esse eadem et radicis et terminationis. Quod nemo erit fortasse, qui non ultro concedat, si agatur de nominum derivatione; sed inane videri possit illud discrimen, si de genere quaeratur. Quod secus esse intelliget, qui distinctis prius unius et plus unius syllabae nominibus utrorumque genera explorarit. Sed satius duco in hac tota disputatione, quoties de monosyllabis sermo erit, terminationis vocabulo prorsus abstinere, si quidem sufficit, characteris habere rationem, qui, etsi in utroque syllabarum numero discernendus est, in monosyllabis est pro ipsa terminatione, aut nudus, aut cum s mobili conjunctus. Est autem character in extrema nominis syllaba litera vel vocalis, vel post vocalem consonans, et quae cetera harum literarum partitio, eadem et characterum. Distinguendum est a charactere *s* mobile, quod non est, nisi in nominativo, accedente vero obliquorum casuum flexione loco movetur, id est, abjicitur. Sed haec notissima, atque illud

etiam, characterem in nominativo suppressum emergere obliquorum flexione. In iis nominibus Latinis, quorum rectus et obliqui syllabarum numero sunt pares, characterem vocalem nominativus tuetur accedente s mobili, ut *civis*, in obliquis characteris litera flexione absorbetur, nam in genitivo civis is est flexio; sed servatur plerumque in genitivo plurali, nam in civium sola um est flexio. Ubi vocalem terminativam, id est, nominativi extremam, duae consonantes sequuntur, hos facio characteres: γγ vel γκ idem valet, quod gutturalis simplex; in ντ liquida praevalet; in ϱτ respicitur ad mutam, in κτ ad gutturalem. Eadem est ratio nominum Latinorum.

Transeo ad dissyllaba, quo nomine, ut a potiore parte, ea quoque complecti licebit, quae plus duas syllabas habent, nisi distinctionem expresserim. Dissyllaborum igitur terminatio vel simplex est, vel plenior. Simplex est vocalis terminativa, vel sola, vel cum consonantibus annexis, eamque Priscianus intelligit, ubi tertiae declinationis terminationes enumerat, nullo discrimine plenioris; quae est, ubi inter radicem et eas literas, quibus simplex consistit, aliquid intercedit, quod inserviat nominis formationi; idque non esse radicis, sed ipsius terminationis, intelligitur ex multitudine similium, ut pietas, egestas, celeritas, in quibus tas terminatio est plenior. Hujus distinctionis praecipuus est usus in loco de derivatione; nonnullus, quum de Graecorum nominum genere quaeritur, magnus sane, quum de Latinorum genere. Ceterum moneo, quum dico terminationem vocalis cujusdam, ut intelligere velit lector terminationem, cui vocalis illa insit, etsi accedant consonantes; in vocalem eam dico, ubi vocali nuda nomen finitur.

Tertiae declinationis Latinae terminationes Priscianus dicit esse numero septuaginta et octo vel paulo plus atque re ipsa recenset octoginta. Sed perinde habitis monosyllabis ac dissyllabis divulsisque nominum radicibus terminationes fingit abs, ebs, ons, aus aliasque similes, quin et arx, urbs, quarum nulla proferre potest exempla, nisi ipsa nomina totidem literis comprehensa. Idem immiscet Latinis Graecas, adeoque barbaras. Nos quidem, qui in eodem nominativo tot singulas discernimus nominum terminationes, quot distinguit genitivus characteres, velut us, udis, us, utis, us, uris, quum haec illi sint una in us productam terminatio, tamen paene dimidio pauciores computavimus; simplices dico, nam crescit paulo numerus ex plenioribus.

Sed haec, quae taxavi in Prisciano, in recentiorum quoque libros, maxime, quos de Latina grammatica scripserunt, migravere, nisi quod non memini, arx et urbs et alia aeque plumbea pro terminationibus venditari; de femininis tamen in aus etiamnum frequentatur regula. Sed in quo maxime

ejus sequenda erat auctoritas, id fere neglectum est, ut terminationes discernerentur quantitate, cujus ad genera distinguenda magnum est momentum; accedente in Graeca lingua accentus ratione fere aeque necessaria.

Literam characteristicam quod diximus monosyllabis esse pro terminatione, id non eo valet, ut minus illi tribuamus in dissyllabis: in quibus ad mutarum inter se discrimen, utrum in linguales nomina exeant an in gutturales, pluris etiam est attendere. Nihilominus magna plerumque est generum etiam in diversis characteribus convenientia, si vocales inter se conspirent. Ad haec igitur, quae dixi, singula si animadverterimus, etsi non eae efficientur regulae, quae ab omni exceptione sint immunes: ita tamen temperabuntur, ne invita linguae natura in ipsis regulis augendarum exceptionum sit occasio. Ceterum gutturalis characteris in Graeca maxime lingua eam esse indolem, ut pluribus, quam ceteri, pateat exceptionibus, neminem fugiet.

His igitur praeceptis Graecorum generum rationem sejunctis nominibus monosyllabis aptissime concludi posse existimo:

1) Terminationes vocalium α, η, ω, aut per omnes casus, aut nominativo tantum productarum, restricta vocali ω, si genitivo corripiatur, ad barytona, sunt masculinae.

Masculina igitur barytona utroque casu producta: Ἄρης, ηος s. Ἄρης, εος. λέβης, ητος. μύρμηξ, ηκος. νέαξ, ακος. Ἕλλην, ηνος. ἥρως, ωος. ἔρως, ωτος. κώνωψ, ωπος. πώγων, ωνος. genitivo correpta: ἄκμων, ονος. ῥήτωρ, ορος. — oxytona utroque casu producta: βασιλεύς, ῆος. γυμνής, ῆτος. κηφήν, ῆνος. σπινθήρ, ῆρος. ζωστήρ, ῆρος. πελεκάν, ᾶνος. ἱδρώς, ῶτος. ἀγκών, ῶνος. genitivo correpta: λιμήν, ένος. αἰθήρ, έρος.

Excipitur una terminatio plenior της, τητος vel τής, τῆτος, quae est feminina.

μικρότης. ταχυτής.

Praeterea in ης, ηθος nomen proprium montis Πάρνης Passovius notat feminino, quam masculino genere usitatius esse.

2) Terminationes oxytonae vocalis ω in obliquis correptae sunt femininae.

αἰδώς, όος. ἠχώ, όος. ἀηδών, όνος.

3) Terminatio vocalis α oxytona in charactere linguali est feminina.

λαμπάς, άδος.

4) Terminationum vocalium α, ε, ο impeditiorum (earum dico, quarum in nominativis aut genitivis vocali per se correptae mora injicitur positione, quae in vocalem resolvitur in nominativis characteris liquidi) tria sunt genera sive classes:

a) cui character est lingualis (ρτ):

unum δάμαρ (pro δάμαρτς), αρτος quod est femininum;

b) quibus character est gutturalis vel labialis, nominativo in ξ vel ψ exeunte, eaeque generis inter utrumque sexum partiti specialibus regulis dignoscendi.

Hae autem praecipuae generis visae sunt notae:

Nomina paroxytona in αξ, ακος (◡◡), vocali maxime radicali absente positione correpta, sunt masculina. κόραξ, ακος.

Ἄναξ, ακτος, quod unum est characteris κτ cum ς mobili nomen, generis est masculini.

Nomina properispomena in αξ, ακος pleraque sunt feminina. βῶλαξ.

Inveni, quod materiam praeberet his regulis, apud Spitznerum. Neque tamen tam certam earum esse fidem pronunciare ausim, quam ceterarum, et plus profecturum arbitror, qui in his dispescendis ita versetur, ut Buttmannus in altera declinatione.

Nomina in αξ characteris γ sunt feminina. λάταξ, αγος, φάραγξ, αγγος.

Si qua sunt in εξ, οξ, masculini sunt generis, praeter properispomenon ἆλοξ, quod est femininum. Δέλεξ, εγος. ἶσοξ masculinum esse Leop. Schneider. (cf. p. 117. cum 189) verisimile putat.

In ψ antecedente α vel ο masculina, nisi quod in quae incidi properispomena, et ipsa feminina esse comperi. ὁ θέραψ. ὁ ἔποψ. ἡ λαῖλαψ. ἡ καλαῦροψ.

Harum minutiarum peto veniam, qui sciens ullam terminationem praeterire noluerim. Quanquam nomina characteris labialis fere omnia in οψ et ωψ desinentia pro compositis ex his ipsis nominibus habenda et vix dissyllabis annumeranda videntur. Sed reliqua persequar.

c) quibus character est cons. liquida, eaeque generis masculini: γίγας (pro γίγαντς) αντος. ἱμάς (pro ἱμάντς) άντος. Sic εις, εντος pro έντς εντος, ων, οντος pro οντς, οντος. πελεκᾶς (ᾶς pro άεντς, άεις), ᾶντος. πλακοῦς (οῦς pro όεντς, όεις), οῦντος. λέων, οντος.

5) Terminationes barytonae vocalium α, ο expeditiores, id est, per omnes casus positione vacuae, generis sunt neutrius.

σέλας, αος. βρέτας, εος. τεῖχος, εος. τέρας, ατος. ἧπαρ, ατος. πρᾶγμα, ατος. νέκταρ, αρος. ἦτορ, ορος, (ἔλαορ =) ἔλωρ, ωρος. Addendum γάλα (pro γάλακτ), ακτος, terminationis quidem impeditioris, sed ceteris characteris gutturalis hoc dissimile, quod ς mobile non assumit, sed utramque mutam abjicit. Sigma enim post consonantem repudiavit, ut neutrum; mu-

tas in fine ponendas, ut Graecum. Contractam terminationem nullam in tabulam referendam censui, sed in sua quamque elementa resolvendam. Nomina vero in ωρ, ωρος, unde neutra sint, non video, nisi detur aut esse ea contracta ex οαρ sive αορ, aut apocopen passa, velut ἔλωρ aut ex ἔλαορ aut ex ἔλωρον, ἐλώριον.

Vocalium ι et υ hae sunt regulae:

6) Terminationes vocalis ι cum ς mobili per omnes characteres sunt femininae, in liquido charactere vel absente ς mobili.

τρόπις, ιος. ἔρις, ιδος. χάρις, ιτος. μέρμις, ιθος (– ◡). πατρίς, ίδος. κρηπίς, ῖδος. κύλιξ, ικος (◡◡). βέμβιξ, ικος (– ◡). πέμφιξ, ιγος (– ◡). φόρμιγξ, ιγγος. ἕλμινς, ινθος. ὠδίς, ῖνος. ῥηγμίν, ῖνος.

Ne haec quidem regula undique firma in charactere gutturali; sed una ιγξ maxime terminatione feminina superant. Quod unum reperi in ψ, ἦλιψ, obsolevit; compositum tamen invenitur κατῆλιψ, quod est masculinum.

7) Terminationes vocalis υ cum ς mobili in charactere litera vocali et linguali sunt femininae; in charactere gutturali genera partita; in liquido sive adsciscit vocalis ς mobile sive recusat, masculinae.

ἡ πίτυς, υος et ὁ στάχυς, υος (horum enim utrinque fere totidem). ἡ χέλυς (–), υος. ἡ κόρυς, υθος (◡◡). κώμυς, υθος (– ◡). ἡ ὀφρύς, ύος. ἡ χλαμύς, ύδος. ἡ δαγύς, ῦδος. ἡ πτέρυξ, υγος. ἡ ἴυγξ, υγγος. ἡ κάλυξ, υκος. ὁ ὄνυξ, υχος. ὁ κόκκυξ, υγος (– ◡). ὁ βόμβυξ, υκος (– ◡). ὁ μόσυν, υνος (– ◡). Φόρκυς, υνος (– ◡). ὁ Φόρκυς, υνος. (– ◡). ὁ, ἡ μάρτυς, υρος. ὁ ψίθυρ, υρος. Sed Τίρυνς, υνθος, urbis nomen, femininum.

8) Terminationes in vocales ι et υ nudae, id est, ς mobili carentes, generis sunt neutrius.

σίνηπι, ιος. μέθυ, υος. μέλι, ιτος. γόνυ, ατος.

Superest, ad quod nulla harum regularum spectat, neutrius generis κάρη, per se indeclinabile, sed quod nactum est genitivos κάρητος et καρήατος, unde nominativum fuisse colligunt κάρηαρ, non satis probabilem: sed de apocope aliqua non dubitandum et fortasse non κάρηνον a κάρη, sed hoc ab illo profectum est.

Subscripsimus, ad quas regulae referrentur, terminationum omnium, eademque generum, quae designarentur, singula exempla, in quorum genitivis ab Attica flexione per ω producta abstinuimus, formarum magis nativam veritatem, quam quod Atticis auribus blandiretur, secuti. Sed ea demum regulae cujusque ex singulorum observatione collectae plena et sufficiens videtur esse confirmatio, si quidquid contrarium reperiri possit, in lucem protrahatur, si-

mulque, quanto plura regulam vindicent, demonstretur. Hac enim in causa numero argumentorum vincitur. Sed quum de singulis terminationibus fere omnibus inter omnes constet, atque ubi dubitandi sit materia, ipse cum cautione pronunciarim, allata exempla sufficient. Hoc quidem ipsum per se aliquid utilitatis habere poterit, si in unum congerantur praeter ea nomina, quorum numerus vix exhauriri potest, εύς et pleniorum illa terminationum in τήρ, μα, σις, reliqua, quotquot inter se similia sunt, omnia, ut, quam late pateat alia terminatio, quanta alius sit inopia, simulque quam variis quaeque significationibus inservierit, plenius aut citius, quam sola scriptorum lectione cognoscatur. Sed quo minus in haec, etiamsi conjunctionem nonnullam cum proposito meo praetexere possim, evagari audeam, voluminis et temporis spatium prohibent, quibus adeo monosyllaba Graeca, quorum exspectari a me poterat generis ratio, cogor remittere. Quae si quis cum Latinis comparare velit, in utraque lingua haec duo maxime spectanda esse intelliget, utrum hominum animaliumque an rerum sensu carentium sint nomina, et utra consonantium characteris numero sit, muta an liquida? unde si harum linguarum in altera tantum eorum percensendorum specimen edamus, id quodammodo sufficiet. In iis enim, quae de Latinis generibus praecipienda putarem, quum inesse quaedam intelligerem, quae ut satis vera viderentur, explicatione indigerent, has, quas jam propono regulas, argumentis suis non destituam:

1) Terminationes vocalium e, i, u, a productarum in s mobile desinentes per omnes characteres sunt femininae, correptarum item in charactere linguali, ubi vocalis in obliquis casibus eadem remanet. (Satis est, si sint vel solo nominativo productae.)

Feminina ergo: nubes, is. merces, edis. quies, etis. palus, udis. salus, utis. virtus, tutis. aetas, tatis. (Sed masculinum: paries, etis.) In linguali charactere correptae etiam: cuspis, idis. pecus, udis. anas, atis. seges, etis. Ceterorum characterum productae: halex, ecis. cervix, icis. victrix, tricis. balux, ucis. fornax, acis. Ceres, eris. tellus, uris.

Duo in en productam sunt masculina: rien, lien, enis.

2) Terminationes vocalis o productae sunt masculinae.

Haec pro significatione communia: custos, odis. sacerdos, otis. Masculina: volvox? ocis. honos, oris. amor, oris. pastor, toris. ligo, onis. (Restrictione quadam regulae opus est in hoc plenioris terminationis: unedo, onis.)

3) Terminationes vocalis o cum charactere n simplices nullo quantitatis discrimine sunt masculinae. (ligo, onis v. ad 2.) Saxo, onis. turbo, inis.

4) Terminationum vocalis o cum charactere n pleniorum altera io, ionis pro concreta aut abstracta nominum significatione masculina aut feminina est, numeralibus accedentibus ad masculina; altera, cujus pars posterior est do vel go, feminina.

pugio, ionis, m. regio, ionis, f. ternio, ionis, m. unedo, edonis (◡◡, ◡◡◡). dulcedo, edinis, f. origo, iginis, f.

5) Nomina in is, is inter utrumque sexum partita specialibus regulis sunt dignoscenda, in us, (uis=) us pleraque feminina; in ix, icis (◡◡) pleraque masculina; in il et ul masculina.

navis, is, f. panis, is, m. manus, us, f. fornix, icis, m. vigil, ilis, m. consul, ulis, m.

6) Terminationes vocalis e correptae simplices cum s mobili, si in obliquis e transit in i, masculinae sunt, terminatio er manente in genitivo e, ubi t vel binae consonantes eam praecedunt, et ipsa masculina, ut et ejus vicaria is, eris, nulla a literis praecedentibus accedente conditione. Etiam en, inis masculini potius quam neutrius generis, ejusque vicaria is, inis simpliciter masculini, plenior men, minis neutrius.

limes, itis. pollex, icis. later, eris. anser, eris. vomis, eris. pecten, inis. sanguis, inis. carmen, minis.

7) Terminatio plenior quartae, quam dicunt, declinationis tus, (tuis=) tus est masculina. cantus, us.

8) Terminationes vocalium correptarum cum r ante flexionem sunt generis neutrius, restricta hac regula in er, eris ad hanc conditionem, si consonans simplex praecedat.

cicer, ciceris. jubar, aris. genus, eris. decus, oris. marmor, oris. fulgur, uris.

9) Terminatio in consonantem mutam non addito s mobili generis est neutrius. caput. halec.

10) Terminationes in vocales e et u nudas vel in consonantem propter e in fine avulsum, generis sunt neutrius.

mare, is. calcar, aris (◡, -◡) pro calcare (-◡), is. animal, alis (◡, -◡) pro animale (-◡), is. cornu, gen. (uis=) ûs, quanquam s genitivi in hoc nomine non raro abjicitur, in aliis similibus raro admittitur.

Jam vero non contentus, singulis nominibus subjectis, quo, quae praecepissem, pertinerent, admonuisse, tum ipsarum terminationum ad praescriptam seriem rationem, si qua opus esse videatur, reddere, tum, quae praescriptis

regulis nomina se coerceri non patiuntur, Schneideri in hoc auctoritatem secutus, percensere aggredior.

Ad reg. I. de vocalibus e, i, u, a productis et de iisdem in linguali charactere etiam correptis.

ES, IS. Hujus terminationis rationem sejungere nolo ab altera parisyllaba is, is, unde transeo ad characterem lingualem.

ES, EDIS. merces, edis.

ES, ETIS. quies, etis cum compositis requies et inquies.

US, UDIS. palus, udis.

US, UTIS. salus, utis.

Eadem exempla repetenda erant, quae supra adscripsi, nam alia non inveniuntur. Quod addere possum primae inter has,

Communis est generis: *haeres*, id est, masculini magis, quam feminini.

Obscurior est harum terminationum origo, nisi quod palus, udis simile sui habet apud Graecos δαγύς, ῦδος: sed in ής, ῆδος, ῆτος aut ύς, ῦτος nomina non reperiuntur. Oxytona finxi, nam barytona a feminino genere magis etiam abhorrent.

Nulla in *as* vel *is* productam inveniuntur substantiva dissyllaba, sed adjectiva inveniuntur, ut Antias, atis, Samnis, itis et dii penates, quae nomina respondent ad interrogationem cujatis; hoc enim pronomen sic potius efferri, quam cujas, notatur, quanquam et cujas legitur apud Livium. Catonem vero, si quis mortuus est Arpinatis, scripsisse, testatur Priscianus. Inde intelligitur, formas ad speciem simplices as et is, contractas ex plenioribus atis et itis, convenire cum Graecis άτης vel ίτης primae declinationis unaque cum femininis ᾶτις et ῖτις tertiae. Similem conjecturam facere licet in salus. Ut solu-itum quadrisyllabum contractum est in solutum trisyllabum, a trisyllabo primo solu-o, deinde dissyllabo solvo, et ut locu-itum a trisyllabo locu-or, pro quo est loquor, abiit in locutum *), ita ex salu-itas a salu-us, salvus salutas, tatis primo, deinde salus factum esse videtur. Quae ratio si minus placuerit, et sicut Arpinas est pro Arpinatis, ita salus etiam salutis nominativum poscere videatur, haec altera conjectura Graecae linguae auxilio non destituetur, quae terminationem quandam pleniorem τις exhibet, cujus

*) Qui loquutum, loquutus scribere pergunt viri doctissimi, monstrum verbi alunt ab inscitia partum. Nam u ante *tum* supini nunquam locum habet, nisi aut elisione vocalis i, qua u nativam brevitatem retinet, ut diruo, diruitum, dirutum, aut contractione ex ui, qua u radicis producitur absorpta vocali terminationis, ut acuo, acuitum, acutum. Loquutus fieri non potest, nisi ex praesenti loquuor.

exempla sunt μνῆστις, μῆτις, πίστις, πύστις, σύρτις, φάτις, χῆτις. Sunt et alia in τις, sed subsisto in verbalibus abstractis. Ita fuerit a verbo salu-o, ut Graecis hoc literis exprimam, σαλύτις sive σαλῦτις, ιος. Quies duplicem habet genitivum, alterum obsoletum quintae, alterum tertiae declinationis, qui si non et ipse ex nominativo olim parisyllabo pendet, nomen hoc licentia quadam e quinta in tertiam declinationem deflexum est, quam deinde retinuit solam. In hoc quidem, ut dissyllabo, i radicis est, sed sunt trisyllaba in

IES, IETIS (◡–, ◡◡◡): aries, paries, quibus masculinis esse per regulam nostram licebit: nam ea dixi esse feminina, quorum vocalis in obliquis casibus eadem permaneret: at non potest dici eadem, quae differt quantitate. Penultimae syllabae vocalis i et prohibuisse videtur, quo minus e genitivi transiret in eandem vocalem (pariitis) et restitisse correptioni nominativi: unde accidit, ut aries et paries nomini quies magis affinia viderentur, quam quibus sunt revera in es (◡), itis. Hanc ipsam enim terminationem, quum ad aliam referri Graecam, quam ad ης, ητος nequeat, productam principio fuisse necesse est. Unde aries et paries etiam genere his similia; est tamen

Femin. *abies*, arboris nomen.

TAS, TATIS, plenior terminatio notissima, Graecorum της; altera minus frequens

TUS, TUTIS, cujus quattuor sunt nomina: juventus, senectus, servitus, virtus. Si referenda est ad Graecam τύς, τύος, nominibus numerosiorem, alterum t intrusum est. Exempla Graecae: γραπτύς, δαιτύς, ἐδητύς, ληϊστύς, μνηστύς, ὀρχηστύς, cetera complura, numeralia etiam, ut τετρακτύς, πεντεκοστύς, χιλιοστύς.

Conjungo cum his lingualis characteris correptas:

IS, IDIS, capis, cassis, cuspis, promulsis.

Masc. *lapis.* Apud poëtas *Tibris*, idis quoque pro Tiberis parisyllabo.

US, UDIS. pecus.

AS, ATIS. anas.

ES, ETIS. seges, teges.

Sunt hae unius duorumve nominum, ac ne is, idis quidem multorum, exclusis Graecis.

In gutturali charactere

EX, ECIS (–◡) regulam uno nomine halex confirmat, altero

Masc. *vervex*, vel invita frustratur.

IX, ICIS, uberior femininis, ut cornix, coturnix, vibix (cf. Schn. p. 116.), alia plura. Hic oritur quaestio de vocum appendix et similium geni-

tivo. Productum esse fidem facit Prisciani de his silentium, quippe qui negat nomina Latina, quorum sit correptus, paucis, quae affert, exceptis, esse feminina. Sunt autem feminina appendix, offendix, coxendix, clacendix. Schneiderus p. 187. non satis tutam esse Prisciani fidem admonet, quippe qui oblitus sit quaedam, quae constet esse feminina genitivo correpto, ut natrix, hystrix; sed hystrix illum opponere Prisciano miror, de Graecis praecipere se neganti; quid? quod magis fortasse masculinum est, quam femininum (cf. p. 115.). Ponderis aliquid genitivo producendo accedere videtur ex nominum illorum significatione. Nam quae sine controversia excipiuntur a Prisciani regula, ea praeter natrix (si modo hoc sine controversia) duo sunt herbarum, unum avis nomen. Ceterum notandum, in ipsis illis quattuor esse discrimen. In appendix et offendix penultima est radix; clacendix et coxendix singularem quandam plenioris terminationis speciem prae se ferunt. Sed de his satis. Simplici ix, icis (-ᴗ) terminatione fecundior aliquanto est nominum, quae a masculinis in tor formantur, plenior illa feminini generis in

TRIX, TRICIS, quam satis est meminisse, nisi quod addendum, etiam inveniri cicatrix, matrix, nullo prototypo masculino, illud obscurioris originis, hoc Graeco quidem μήτρα respondens, sed ex μητρις quodam orto similius, ut pistrix e Graeco πρίστις, εως corruptum, siquidem apud ipsos Graecos πίστρις de navium quodam genere dictum pro πρίστις invenitur.

AX, ACIS. Feminina fornax, limax; hoc Columellae masculinum.

UX, UCIS. Femininum esse balux, nomen origine Hispanicum, ideo credibile, quod et baluca legitur. cf. Schneid. p. 189 et Scheller.

Sed ad has muti characteris terminationes etiam ex liquido accedunt feminina duo in

ES, ERIS, Ceres, n. pr. et in

US, URIS, tellus. Latini, quum magis, quam Graeci vocalium concursum fugerent, characterem vocalem saepius adulterarunt inserta obliquis r liquida, velut pro ος, εος Latinorum est us, eris, pro γάλως, ω glos, gloris. Sic neque in Ceres et tellus liquida nativus est character. At si quis nominum characteres ad etymologicas rationes exigendo distinguere velit, negotium susceperit plenum difficultatis et incertitudinis, quare acquiescendum est in exteriore nominum forma.

Subjicimus hic, vocalem e productam sequente liquida sine s mobili

EN, ENIS masculinam efficere terminationem. lien, rien, quod obsoletum.

Ad reg. II. de vocali o producta.

Characteris o vocalis, si qua fuerunt nomina, eo quo dixi modo, ad liquidum translata videntur. Lingualis sunt pauca, in

OS, ODIS, custos et in

OS, OTIS, sacerdos, quae duo significatione utrique sexui sunt apta; nepos soli masculino. Gutturalis characteris in

OX, OCIS, an ullum sit nomen, ambigitur. Seyfertus §. 1388. scribit, quum grammatici negent in ox femininum reperiri, praeter celox, inde cogi, volvox esse masculinum; sed de ipso vocabulo dubitatio superest propter incertam lectionem. Schn. p. 117. Celox proprie adjectivum et intelligenda navis. Ita vocalis o nusquam fere, nisi in liquido charactere, sed in hoc multis modis frequentata.

OS, ORIS in paucis retenta terminatio, pro qua

OR, ORIS increbuit. Hujus multa sunt verbalia abstracta, maxime a verbis neutris, ut favor, fervor a favere, fervere, deperditis quorundam primitivis, ut labor, lepor, vel potius lepos. Nam in hoc uno hanc obsoletam fere terminationem a plerisque praeferri notatur. Animalis nomen est olor, sed hominum et quidem

Feminarum: *soror, uxor.*

Struvius in his quoque r euphonicum esse censet et vocalem olim fuisse characterem (über d. lat. Decl. u. Conj. §. 9, n. 2, p. 47). Quae p. 44 inserti r affert exempla, ea sunt terminationis ος, εος vel dissyllaba, ut γένος, εος, genus, eris, ἕλκος, ulcus, ῥῖγος, frigus, vel monosyllaba contracta ex dissyllabis πύος, εος, pus, θύος, tus. Unum adjicit μῦς, μυός, simile Graeco σῦς, συός, pariterque Latino sus, suis, sed pro muis Latinis placuit muris. Ex his conjicit, etiam in genitivis roris, floris, moris r non esse genuinum characterem, sed pronuntiationi inservire, et adstipulor; sed quum dicit, nominum flos, floris et honos, oris in simili forma similem agnoscendam esse terminationis originem, non statim me habet assentientem. Nam monosyllaba contractione facta esse videntur e dissyllabis, ac revera, si circumspicias, quod Graecum respondeat nomini ros, succurret ῥόος, ῥόου et flos Passovius repetit a φλόος, ου, φλοιός; observetur etiam φλοῦς s. φλέως, ω Ionibus esse plantae quandam speciem. In dissyllaborum vero terminatione or, oris contractionis nullum est vestigium. Attamen sicut ῥόος et φλόος in tertiae declinationis nomina apud Latinos transierunt, ita, si quis attendat, quae Graeca et significatione et genere cum Latinis in os vel or, oris maxime conveniant, reperiet ea esse secundae declinationis in ος, ου, Laconibus ορ, ut ὁ πόνος

labor, φόβος, timor, μῦκος, mucus Latine, sed et mucor, τρόμος, tremor. Cum his in ipsa Graeca lingua verbalia in ος, εος cognata, ut θάμβος, stupor. Id denique mihi volo, Aeolicam in ος terminationem, postquam Latina facta esset, similitudine maxime tor, toris terminationis abreptam in tertiam declinationem deflexisse. Sed soror et uxor similiora crediderim Graeco αἰδώς, όος. Manifesta est origo plenioris

TOR, TORIS, e Graeca τωρ, τορος, substantivorum activae potestatis in utraque lingua fecundissimae, correpto apud Latinos nominativo, apud Graecos genitivo. Notum est transire t pro verbi charactere in s, ut fiat sor, et juncto s cum gutturali supinis in xum similia nomina in xor prodire potuerunt, nullum tamen mihi suppetit.

Ad reg. III. et IV. de charactere n praecedente o.

Et hac et praecedente regula masculina sunt in

O, ONIS, Graece ων, ωνος et ών, ῶνος. Hac terminatione praedita sunt rerum nomina, ut carbo, sermo, aquilo, cudo etiam et ligo, quae excipere coguntur a regula femininorum in do et go, qui eam non restringunt ad genitivum inis; deinde brutorum, ut leo, bubo, draco, pavo, crabro; multa hominum, ut cerdo, praedo, bibo, capito, naso, labeo, quae fere vim habent amplificandi.

> Urbium sunt nomina, quae terminationis regulae suo jure renuntient, sed sunt etiam, quae genus suum illi condonent, de quibus adeatur Schneiderus. Praeterea regulam abdicat deae nomen Junonis, et si quis nominum Graecorum feminis propriorum in o, us flexione uti gravatur, Latinam illam substituit. De arboris unedonis nomine infra dicemus.

Omnis characteris n cum vocali o terminatio respondet Graecis nominativo productis, apud Latinos eadem mediae est quantitatis, ita correptae, ut se produci tamen patiatur. In o, onis (– ᴗ), sunt et gentilia quaedam, ut Suesones, Vettones (Schn. p. 147.) sed propria gentilium terminatio est

O, ONIS (ᴗ ᴗ), ut Saxones. Britones utramque quantitatem recipit. Appellativa o genitivi magis etiam corripiunt, ut fiat

O, INIS. Non homo solum et turbo, sed et margo, cardo, ordo nobis sunt secundum regulam masculina, qui negamus feminina esse, quae intra tres syllabas habeant. Non enim do et go simpliciter sunt feminina, sed terminatio plenior, quae ante do et go extra radicem vocalem requirit, atque sic definita omnem ipsa per se generis excludit exceptionem. Contra, quot inde arcentur masculina, tot illam terminationis simplicis regulam invadunt

Feminina, primo *caro*, cujus genitivus pro trisyllabo carinis dissyllabus effertur carnis. Haec communis utrique rationi est exceptio. Sed nobis oriuntur pro margo, cardo, ordo, illinc exceptione masculinis, *virgo, grando, aspergo*, hinc exceptione feminina. In virgo prior syllaba radix, inter quam et posteriorem excidisse vocalem non tantum credibile est, sed superest plenior forma virago, quae ubi retinetur, emphasin plerumque habet. In grando quoque suspiceris syncopen, ut sit granedo tanquam granorum effusio. Si est a grandis, tunc simplex o additum, et cum augmenti significatione multo minus debebat esse femininum. Equidem incidi in eandem cogitationem, in quam teste Ger. Vossio Nunnesius, grando esse a χάλαζα, sed ita, ut suspicarer a Graecis, quod prius adfuerit ϱ, mollitum esse in λ. Nam χάλαζα propius accedit ad vim verbi χαράσσω, quam χαλάω, ut et Germanicum Hagel cognatum videtur cum verbo hacken, et caedendi vis exprimitur in Hagel*schlag*. Pro garada, grada igitur dictum est grado, deinde grando. Si cui audacior videatur haec conjectura, is comparet inter se χελιδὼν et hirundo, in quibus eadem literarum permutatarum momenta deprehendet. In adspergo demta radice non plenior terminatio, sed solum o relinquitur. Credibile videatur, forte adspergigo formaturos offensos esse g iterato et compendium fecisse. Sed memorabile est, his ipsis nominibus grando et adspergo masculinum genus non defuisse, sed obsolevisse (Schn. p. 86.), quo rectius sejungenda videntur a terminatione pleniore, cui femininum genus inde ab origine proprium fuit. Cardo contra Ruddimannus p. 16 ed. Stallb. priscorum nonnullis feminini generis fuisse notat, ut Nonio teste margo Juvenali illoque prioribus. Si fuerunt aliquando plenioris terminationis, contractione tamen facta memoria rei cum nativo genere periit. Jam plenioris terminationis primo forma quaedam

EDO (◡◡), EDONIS (◡–◡), similis illi, quae est in Graecis μελεδών, σηπεδών, τηκεδών, τυφεδών, reperiri videtur in unedo, edonis, arboris nomine. Ludicra Plinii derivatio ex argumento unum tantum edendi (de fructu loquitur v. Scheller. lex.) penultimae correptae fidem facit, nam in communi tot nominibus terminatione, quae ab e producto incipit, vix credo ita argutaturum fuisse, ut ab edendi vocabulo ejus causam repeteret. E masculinis in o, onis unedo proprie non excipitur, quia suam utraque regulam terminatio, et simplicior et plenior, sequitur.

Graecis ἀλγηδών, ἑρπηδών, χαιρηδών, ἀηδών respondent Latina nomina in

EDO, EDINIS, e producto, ut dulcedo, pinguedo. Latinis in

IDO, IDINIS, cupido, formido, libido, Graecum nullum respondere mireris, praeter χελιδών (penultimam enim habet productam), quod non est abstractae significationis, sed animalis nomen. Verum ad Graecae cujusdam υδών similitudinem, cujus exemplum nescio, Latinorum

UDO, UDINIS est animalium, testudo, hirudo, et inserto n

UNDO, UNDINIS, quae tandem praebet χελιδόνος nomen hirundo. Aliud etsi non animalis, concretae tamen significationis est arundo. Sed his ipsis plenioribus plenior alia longe frequentissima est apud Latinos

TUDO, TUDINIS, sive rectius fortasse ITUDO, ut magnitudo, similitudo, solitudo. Si qua nominibus virtus et similibus cum Graecis in τύς, τύος conjunctio est, eadem his quoque. Inter multa ab adjectivis descendentia verbalia quaedam esse videntur, ut consuetudo, mansuetudo, nisi haec sunt et ipsa ab adjectivis pro consuetitudo, mansuetitudo. Valetudo repugnat: nam ne scribamus valitudo, quod sit pro validitudo, dissuadet poetarum auctoritas, antepenultimam producentium. Non audeo explicare, unde Latina lingua traxerit nomina illis cognata in

AGO, AGINIS, ut imago, virago;

IGO, IGINIS, ut origo, loligo, quod etsi piscis nomen, femininum est;

UGO, UGINIS, ut aerugo. Quanquam dixi, horum omnium regulam carere exceptione, obtruditur tamen

> Masculin. *milago,* piscis nomen, sed apud Isidorum demum repertum. Cf. Schneid. p. 86. Cupido dei proprium factum, quum virilem sexum arrogare coactum esset, abstractae quoque significationis genus turbasse videtur. Horatio quippe masculinum est et nonnunquam aliis quoque poetis. (ibid.)

Alterius ex vocali o producta plenioris terminationis fons est duplex longeque diversus. Sunt Graeca in ίων, ίωνος ut στορπίων, στρουθίων, quibus respondent Latina in

IO, IONIS, scipio, quod Graece est σκίπων, pugio, sive a pungo, pupugi, sive a pugnus, ad similitudinem Graeci ἐγχειρίδιον, et alia similia. Sunt etiam herbarum nomina, fluviorum, pleraque brutorum. v. Schn. p. 88. Nonnulla simulant se magis hujus terminationis esse, quam sunt revera, siquidem primitivi vocalis cum o simplicis terminationis concurrit in lanio a laniandi verbo, in restio a restis nomine, sed pusio, morio, homuncio merito huc referuntur. In pipio aviculae nomine a pipiendi verbo i vocalem non magis primitivum sibi vindicat, quam terminatio, nam etsi illud fuisset pipere, tamen inde descen-

surum fuisse puto pipio, ut bibio a bibere. Haec omnia masculina, ad quae accedunt numeralia, ut ternio, quaternio.

Quam amantes essent Latini vocalis o et tertiae declinationis, ostenderunt in abstractae significationis terminatione

IO, IONIS et

TIO, TIONIS. Formant illi sicut Graeci substantiva primae declinationis in ia ab adjectivis, ut gratia, invidia, insania, modestia et a participiis, ut diligentia, potentia: sed unde communio, talio, perduellio oriri potuerint, si non depravatione primae in tertiam, nescio. Illud addo, esse etiam primae declinationis nomina in itia, ut malitia, pigritia, pudicitia, cum Graecis, credo, in ότης cognata. Graecis verbalia sunt in η vel ία, ut κλοπὴ et κλοπία a κλέπτω, ac praeterquam in σις tertiae etiam in σία primae. Inde Latini, quibus σις non arrideret, formare poterant dictia, lectia, auditia, sed constanter haec tertia flectendi forma induerunt, satis ita distinguentes ab adjectivorum illa progenie in tia exeunte. Sed et illam consonante non praeseptam in ία in verbalibus mutarunt in io, ut videre est in concio, legio, oblivio, obsidio, opinio, regio, religio. Complurium verba deperdita. Optio est ab ὄπω, ὄπωπα; ditio fortasse a δαίω, divido; portio fortasse a πέρω, πείρω, cui affinis esse pars etiam videtur. Easdem in tio cons. t mutationes subire, quas in supinis, non est, quod moneam.

Optio, rei militaris administer, fallit similitudinis specie, nam si optio verbale abstractum est quasi ὀψία, ille ab ὀπτὸς, delectus, est quasi ὀπτίων.

Ad reg. V, de i et u correptis et de monosyllaborum familia dissyllabis in is cognata.

Venio nunc ad vocales consentiente et jubente Graeca lingua correptas, quarum seriem a nominibus parisyllabis incipio. Horum tamen priorem classem, inter productas commemoratam, huc reservavi, ne distraherem parisyllaba. Cur Latini non paucorum ultimam produxerint, difficile dictu: nam ad ης, εος aegre ea referas, quae adjectivorum est terminatio et nominum propriorum, eorumque virilium tantum. Tredecim Joach. Langius affert in es, is feminina, quibus statim addi possunt trita haec proles, moles, nubes.

Masc. *verres*, palumbes, epicoenum masculinum, quanquam de femina suo genere dicitur, *vepres* plurale, cujus eundem singularem fuisse veprecula fidem facit, feminini simul quondam generis indicium, a Lucretio adhuc usurpati; *coles*, ejusdem olim significationis, cujus caulis a καυλός. Adde vates, quod generis est communis. *Acinaces*

etiam et *gausapes*, primae apud Graecos declinationis, quum tertiae fierent apud Latinos, illius genus retinuerunt. Satis multae exceptiones, sed regula tamen inferiores; at nominum in

IS, IS, idem fere erit, masculinum an femininum genus regulae loco habeas an exceptionis. Quare non improbando studio veteres grammatici notas quaesivere, juxta quas specialibus regulis genera distinguerentur. Recte viderunt

1. ea feminina esse, quae inter radicis et terminationis vocales unam tantum consonantem eamque vel mutam, vel non aliam semivocalem haberent, quam v, l, r. Quae mutam haberent, inveni haec: scobis, apis, praesepis, sinapis, rudis, cratis, cutis, natis, sitis, vitis. Scrobis utriusque generis patronos habet. Accedit grates nomen plurale tantum. Batim Columella accusativum facit a Graeco piscis nomine ἡ βατίς, ίδος. Cetera clavis, navis, avis, ovis, felis, bilis, auris, buris, foris, naris, securis.

Commune est *civis*.

Masculinum *caulis* et animantium nomina minus frequentia *mugilis*, *pedis*, pro quibus usitatiora mugil, pediculus. Vulturis, quod apud Ennium repertum est, omnino obsolevit.

2. Quae m et n habent ante is masculina sunt. Neque tamen est in mis parisyllabum, praeter cucumis, alias et ipsum crescens genitivo. Schneiderus notulas illas, ad quos singula revocare studuerint, tot novis ait exceptiunculis confundi, ut nihil proficiatur atque ipsius n literae parum tutam esse fidem (p. 98.). Graeca quippe, ut coronis, tyrannis feminina esse, femininum Latinum bipennis, juvenis et canis communia. Sed meminisse debebat, hic non agi de crescentibus genitivo, aut de Graecis, aut de adjectivis, ut bipennis et juvenis: verum de parisyllabis Latinis proprie substantivis, ut: crinis, finis, funis, lienis, panis, manes et si quod est aliud; canis, etsi de cane femina suo genere dicitur, epicoenum est masculinum.

Feminino saepius, quam masculino genere legitur *clunes*; finis singulari numero non raro femininum, praesertim poetis; canis venatica peculiare quoddam hujus generis epicoenum.

Deinde Priscianus dicit esse masculina, quae duas consonantes in eadem syllaba, vel duplicem consonantem habeant, cui regulae praeter amnis et ignis, quod et propter n masculinum est, parent fascis, fustis, postis, vectis, axis. Alia tria sequenti regulae seponimus. Accedunt cum masculino femininum genus conjungentia hostis, testis. Haec regula quinque relinquet exceptione feminina: febris, pestis, restis, vestis, lactes plurale.

Idem dicit, quae penultimam una ex liquidis terminent, esse masculina. Affert praeter anguis, unguis, torquis, quae superior etiam regula facit masculina, mensis, ensis, collis, follis, orbis. Etiam corbis huc refert, quod utriusque generis idoneos auctores habet. Hanc regulam fallunt: sementis, pelvis, turris, pellis, vallis, vulpis, pro quo vulpes frequentius, sordes plurale. Nimium exceptionis pro regulae ambitu. Desiderant omnino regulas suas octo, unum litera p, septem s geminata.

His Prisciani decretis, qua parte laborant, medelam afferre studui. Haec autem praecipio:

3. Quorum inter binas ante terminationem consonantes m vel n liquida, vel muta gutturalis est, ea sunt masculina. Ex reliquis binarum consonantium mediarum nominibus, quorum in penultima o vocalis est, et ipsa sunt masculina, quorum e et u, feminina.

Masculina igitur: vermis propter m; ensis, mensis, acipensis parisyllabum, sentis, antes plurale, propter n; amnis propter utramque liquidam; ignis, anguis, unguis, sanguis quoque parisyllabum obsoletum, propter n et gutturalem; piscis, fascis, vectis, axis propter gutturalem, item torquis, in quo simul o vocalis notetur; denique sine his consonantibus propter o: torris, collis, follis, tolles plurale, cossis, orbis, postis, hostis, quanquam hoc feminino generi, ubi opus est, se non denegat.

Exceptione feminina *sementis, lactes,* plurale, *sordis* (sic singularem unus effert Ambrosius. Schneid. p. 427.). Modica exceptio, nisi forte, quod addatur, alius reperiat. *Corbis* si Prisciano et bonae existimationis scriptoribus fretus regulae conciliare velis, Cicero certe et deminutivum corbicula refragantur: sed Ovidius quum solus sentis femininum faciat, vix imitandus est; torquis quoque femininum minus probatur.

Ex regula feminina sunt vulpis pro vulpes Phaedro familiare, pelvis, febris, pestis, restis, vestis, puppis, turris, pellis, messis, tussis, amussis.

Exceptione commune: *testis.*

Masculinum: *fustis.*

Reliqua est vocalis a mentio, nulli certo generi addictae. Sic est partita:

Vallis femininum, callis masculinum, feminino genere obsoleto, praeterquam Livio.

Classis femininum, cassis et assis, pro quo as dicitur, ipso assis in derivatis superstite, masculina. Pro assere quod dicatur, axis potius, quam assis probandum ait Schneid. p. 99.

Vidi equidem pueros, qui incredibili linguae volubilitate versus illos exceptionum memoriales profunderent, quum usus esset, singulorum nescios: qui si discriminibus animadvertendis immorari adigantur, memoriam rationis praesidio confirmatum iri arbitror.

Addenda sunt pauca de parisyllaborum charactere vocali. Nomina facit Struvius (üb. d. lat. Decl. und Conj. p. 16.) pupp, sit, secur, turr, can et similia, quorum nominativus flexionis loco is adsciverit; quo concesso mire inter varios characteres haec nomina distraherentur. Non habet flexionem nominativus, sed terminationem formativam in ipsis quoque tertiae declinationis parisyllabis, illisque recte tribui characterem vocalem Graecorum in ις, ιος comparatio confirmat. Latini quum genitivum in is pro ος flectere coepissent, aut syncopen facere aut distinere vocales interjecto r cogebantur. Dubii fuisse videntur, utrum praeferrent. Quod regerum, nucerum dixere (Schneid. p. 171.), indicio est, nomina aliquando fuisse quasi ϱηγις, ϱηγεων, νυκις, νυκεων. Sed rejectum est in plerisque falsi characteris interpolamentum, in his, quae dixi, ne vocali quidem retenta, ut pro regium, nucium fieret regum, nucum, quum alias nominum in is genitivus pluralis characterem vocalem exprimat. Eandem in erum flexionem, postquam ingruisset, eo quoque serpere potuisse, ubi aliena esset, nemo mirabitur, idque accidisse videtur in lapiderum. Sic nominativus pluralis productus, qui Graeco in εις respondet, ex vocali charactere Latinorum tertiam declinationem totam videtur pervasisse.

Is ipse, quem demonstravimus, obsoletus genitivus nomina rex et nox aliquando dissyllaba fuisse testatur. Alia aut duplici forma apud scriptores exstant, hinc trabs, scobs, scrobs, illinc trabes, scobis, scrobis, aut servata est apud grammaticos memoria dissyllaborum, unde contracta sunt monosyllaba, ut faces, sortis, quorum loco est fax, sors. Monosyllaborum ex dissyllabis originem adumbrant etiam nubs, orbs, senescente Latinitate e nubes, orbis corrupta (Schneid. p. 469.). Jam si quis consideret, tot quidem esse monosyllaba in x, sed in dissyllabis gutturalem ante exitum nominativi aegre reperiri, vix aliam ejus rei causam invenire poterit, quam mutuam adversus se gutturalium et sibilantis inclinationem, qua utriusque suppressa vocali facta sit concretio. Unum memini, cujus posterior syllaba a gutturali incipit, strages dissyllabum, in quo et tres ab initio consonantes, et producta in ultima syllaba vocalis moram injicere potuerunt. Quod autem genus attinet, monosyllaborum omnium, quae consonantem mutam characterem habere videntur, eadem communis omnium est regula, quae parisyllaborum in is, quorum ultima syllaba a consonante simplici incipit, nisi in hominum ceterorumque animalium nominibus significatio inter-

cedat. Quam late pateat per linguam Graecam et Latinam ultimae syllabae in s mobile desinentis tum a gutturali consonante, tum a linguali orsae contractio, atque ita non modo duarum in unam, sed etiam trium quattuorve in eodem substantivo syllabarum in duas vel tres deminutio, sicut supra ostendimus cujas, Arpinas fuisse antea cujatis, Arpinatis: id quidem aliis disceptandum relinquimus; qua in quaestione amplius spatium erit conjectandi: nos quidem aut eam quaestionem tractavimus, aut in ea tractanda ita versati sumus, ut modico conjecturae subsidio opella nostra perfungi posse videremur. Sed ut redeamus, unde digressi sumus: in monosyllabis, quae consonantem mutam ante genitivi flexionem monstrant, quem characterem dicimus, vocalem potius characterem latere opinamur: unde intelligitur, cur in iis nullo discrimine simulati characteris vel lingualis vel gutturalis vel adeo labialis, qui in substantivis dissyllabis, si unum adeps excipias, neque verus, neque fictitius deprehenditur, unum idemque levi exceptione regnet genus femininum. Quam regulam mireris, de iis quoque valere, quae si ex dissyllaborum natura metiaris, exspectes esse masculina: nam lentis, mentis, frondis, glandis, quae non conjicio, aliquando duarum syllabarum fuisse, sed testibus grammaticis refero (Schneid. p. 182.) ejusdem sunt generis, cujus sementis, quod a ceterorum, ut mensis, sentis, indole recedit. Item si, quas fecimus regulas, referas ad lanx, arx, quasi essent, et fuerunt sine dubio, lancis, arcis, debebant haec, ut anguis, torquis esse masculina: sed feminina sunt. Quare si parisyllaba et monosyllaba illis cognata una eademque nominum familia complectimur, patet, illas regulas, quibus ad veterum exemplum dissyllaborum genera distinximus, non esse ex interiore linguae natura repetitas, sed nescio quomodo factum est, ut masculinum genus minus esset contractioni obnoxium, et quae remanerent dissyllaba masculina, insigni inter se similitudine binas haberent consonantes medias, et aut harum alteram m vel n vel gutturalem, aut vocalem o in syllaba radicali. Quin et ea, quae contractioni in unam syllabam non restiterunt, masculina n ante ultimam genitivi syllabam habere solent, maxime ubi ea litera cum vocali o conjuncta est. Itaque etsi frons, frondis et frons, frontis, ceterorum regulam sequuntur, feminina quippe et ipsa, plura tamen, mons, pons, fons inter se similia ab illa regula excipiuntur, unde apparet, haec natura sua affinia esse generi masculino. Ex ceteris, quae n habent, dens masculinum est; addunt grammatici veteres lens, lendis, Sereni Sammonici auctoritate, quae una allegari posse videtur, reclamante (v. Schelleri lex.). Dens Graecis non est monosyllabum, sed participii instar, ὀδούς (ὀδόντς), όντος, quod cum edendi vocabulo conjunctum esse videtur, sed fortasse non magis est, quam

Gothica inter se *itan*, ėdere, et *tunthus*, quod et ipsum masculinum est, apud Indos (v. Adelung Mithridates I., p. 156.) *danda* s. *dendha*, Pers. *dend* s. *dandan*. Ex illis, quae litera n vacant, alia pars corporis, pes, pedis cum Graeco πούς, ποδός, Gothico *fotus* et radice et genere convenit. Haec item ex India profecta, ubi *pad* est pes. Omitto Germanica *Zahn* et *Fuss*, nam Gothica lingua ipsa est Germanica Graecae et Latinae aequalis. Atque miror in radicibus vocum comparandis Francogallicae adeo et Italicae linguae a quibusdam suffragia deferri, quae quod a se petitur lucis, ipsae a Latina requirunt. Grex autem cur sit masculinum, nulla neque Latinae, neque exterae linguae analogia explicari potest. Sed notanda apud Lucilium et Lucretium, scriptores antiquiores, feminini generis vestigia, forsitan nativi. (Schn. p. 112.) Resėx et tradux adjectiva potius dicas ad palmes substantivum referenda.

Nemo jam mirabitur, a parisyllabis me delatum esse ad monosyllaba; et ut ostendam, quae mutam habeant ante flexionem, una omnia generis regula contineri, quaecunque collegi, hunc in locum congeram, praemissis, quae manifesto sunt characteris vocalis. Ea sunt grus, sus et vis, e gruis, suis, viis contracta. Grus epicoenum femininum, sus utroque genere epicoenum, sed feminino frequentius, ceterum utrumque generis communis (Schneid. p. 8. et 137.), vis femininum, adscita in plurali numero characteris liquidi specie.

In nominibus sus et grus contractio non procedit ad casus obliquos, quae in nominativo fit ex vocali u radicali et i terminativa. Alia sunt nomina, quorum in nominativo nullus est contractioni locus, quippe una adest vocalis u terminativa, sed accedente flexione in casibus obliquis imparibus singularis numeri et in casibus paribus pluralis numeri fit contractio, in imparibus vocalis alterius elisio, quae declinatio, quanquam pars est tertiae, dicitur quarta. Cujus simplex terminatio us, uis contr. ûs convenit cum Graeca υς, υος; plenior Graeca τύς, τύος, supra comparata cum Latinis tus, tutis, et tudo, tudinis, quartae Latinae declinationis pleniori tus, tuis, contr. tûs, numero et qualitate literarum tum nominativi, tum genitivi est simillima. His tamen rebus differunt, quod Graeca productam vocalem habet (v. Buttm. a. Gr. §. 42. n. 3. et Spitzner. §. 138.), Latina correptam, quae levis est differentia, alias quoque obvia; deinde, quod illa feminina, haec masculina, quae res, etsi paulo plus habet difficultatis, non eo tamen valet, ut similitudinem sublatam putemus; denique, ne levia quaedam commemorem formationis discrimina inter substantiva in τυς et adjectiva verbalia in τος, quae inter quartae declinationis substantiva et participia passiva non intercedunt, Graeca terminatio numeralium quoque est, non verbalium duntaxat. Quae omnia non sunt tanti, ut τύς, τύος et tus, tus re ipsa diversas

existimemus, quum aliam Graecam, ad quam Latinam referas, frustra quaesieris. Veniam dabit lector digressioni, quae et ipsa ad characterem vocalem, quem examinandum susceperamus, pertinuerit. Ceterum quae monenda supersunt de quarta declinatione, reservamus ad reg. 7. in singulis tractandis simplicem a pleniore terminatione non divellentes.

Lingualis ante flexionem his inest: laus, fraus, in-cus, subs-cus, lis, cos, dos, glus, glans, ju-glans, lens, *dis*, frons, *dis*, gens, lens, *tis*, mens, frons, *tis*, pars, sors, mors, co-hors.

In gutturalem cum sibilante concretam haec exeunt: pax, fax, (*frax*), fraces, nex, (*prex*), preces, pix, (*vix*), vice, vox, nux, crux, lux, faex, (*faux*), fauces, calx, falx, lanx, arx, merx, lex, (*frux*), frugis, strix *avis*, strix *columnae*, nox, *ctis*.

Labialem ante flexionem habent: trabs, plebs, urbs, seps pro sepes, quod usitatius, alias pro Graeco σήψ, sed id nihil ad nos (*ops*), opis, (*daps*), dapis. Nix respondet Graeco νὶψ vel νιFς, retinuitque in casibus obliquis labialem semivocalem.

De Masculinis *grex*, *mons*, *pons*, *fons*, *dens*, *pes* v. supra. Frons, frontis Vitruvio adhuc et antiquioribus mascul. Schn. p. 125. Bidens aut ad rastrum, cujus nominativum etiam in us fuisse rastellus indicat, aut ad ovem refertur, quorum substantivorum duplici genere vices gerit.

Alia est ratio eorum nominum, quae significatione referuntur ad homines ex actionibus et muneribus designandos, quae pro re nata aut communis sunt generis, aut solius masculini, ut rex, dux, praes, vas. Accedunt ex verbis capio, facio, lego, jungo, lego, seco, specio, sedeo, sto in usum compositionis derivata fex, junx cet., ut municeps, pontifex, conjunx s. conjux, aquilex, fenisex, haruspex, obses, antistes. Addendum ex, igis ab ago, unde compositum est remex. Interpres a verbo quodam Graeco φράζω simili descendere, et interlocutorem significare ad modum Graeci μεταφράστης (quanquam hoc vocabulum arctiore certe, quo legitur, sensu non est priscae illius vetustatis) conjectura est Penzelii, auctoris libri, qui inscriptus est: etymologische Untersuchungen lateinischer Wörter aus dem Griechischen, Leipz. b. Fritsch, 1786, quam ex ore illius accepi, quum mihi contingeret, antequam diem obiret, saepius cum eo de rationibus etymologicis sermones conserere *). Forceps non hominis, sed

*) Acutissimi viri memoriam grato animo juvat recolere, qui mihi ante hos viginti sex annos commendatione sua aditum muniit ad munus scholasticum post tempus interpositum mihi delatum. Librorum manu sua scriptorum nemini copiam fecit, praeterquam heredi suo, quorum quae fata fuerint, ignoro.

instrumenti nomen, quod feminini potius, quam masculini generis esse Schneid. docet p. 111., Vossius dictum putat pro ferricapis, ferriceps. Si quod est significationis discrimen inter forceps, forpex et forfex (Schn. ibid.), assentior tamen Seyferto §. 2319. origine unum esse affirmanti. Forfex Vitruvio mascul. Obex s. objex a jacio utroque genere usitatum est. Supellex si comparatur cum genitivo supellectilis, duo nomina fuisse credibile est, alterum e praepositione compositum et legis a legere in monosyllabum lex contractum, alterum proprie adjectivum supellectilis i. e. res. Ex illo nominativus, ex hoc obliqui in usu esse perrexerunt. Ut coctilis a coquo, ita lectilis a lego. Fortasse id, quod super necessaria legitur, colligitur, comparatur. Ne in adeps quidem eps est terminatio, sed ipsum nomen ab apere, adipes antea Prisciano teste, id, quod aptum est visceribus vel cohaerens. Grammatici hoc masculini generis esse pronuntiant; scriptores aeque propemodum favent feminino. Sed redeo ad nomina natura, non compositione dissyllaba.

IX, ICIS (◡◡). Masculina: calix, fornix, varix, saurix s. sorix avis, dentix s. dentrix piscis. Natrix serpens quod Lucano dicitur violator aquarum, masculini generis esse creditur. Si natrix esset a nando, masculinum prius intercedens posceret nator, essetque terminationis productae et natura sua generis feminini. Paulo durior tunc synesis natrix violator. Masculinorum numerum propemodum aequant

> Feminina *filix, salix* herbae et arboris nomina. Praeterea natrix scutica Lucilii auctoritate, quod natrica quondam fuisse crediderim, ut *fulix* avis, alias fulica, et ipsum femininum. Quum Lucilius scribat: si natibus natricem impressit crassam et capitatam; Isidorus autem: anguilla est, qua coercentur in scholis pueri, quae vulgo scutica dicitur, natrix ab ipsis natibus et terendi fortasse verbo descendere suspicio est, et hoc ad anguem illum ob formae quandam similitudinem translatum. Herbae quoque natrix nomen.

UX, UCIS (◡◡) non reperitur, nisi in nomine proprio Volux, v. Schneid. p. 117.

Soni magis similitudinem, quam ordinem naturalem sequimur, dum liquidi characteris speciem mentientia (nam l per se ad terminandi usum non comparatum) in

IL, ILIS et

UL, ULIS hic adjungimus. Pro mugil apud Juvenalem mugilis legitur (Schn. p. 101.), unde illud decurtatum est; sic cetera pugil, vigil, consul, praesul, exsul sine dubio terminationem abjecerunt. Pro secundae declinationis no-

mine famulus Lucretius famul l. III, 1048, quem ad locum Creechius Ennii versum adfert: Mortalem summum fortuna repente reddit, ut ex summo regno famul infimus esset. Addit deinde: Idem Ennius debil homo pro debilis; Varro: facul et difficul: quod utrum sit magnum an parvum, facul an difficul.

Neutr. est *nihil* pro nihilum.

Ad reg. VI. de vocali e correpta.

Vocalis e correpta respondet Graecorum η productae, masculinorum formatrici. Es, itis Graece est ης, ητος, ex, icis ab ηξ, ηκος proficisci potuit, nam variam hujus esse originem ultro concedo; en, inis in quibusdam nominibus ad ήν, ῆνος referendum puto; er, eris in aliis ad ήρ, ῆρος vel έρος, in aliis ad αρ aut simile quid respicere manifestum est. Quod ης, ητος attinet, duo sunt feminina, non in es, itis, sed in es, etis (◡◡), supra, quum de charactere linguali praeciperemus, memorata, quorum aliam originem esse puto. Seges enim ac teges fuisse arbitror aut tanquam σεγετις, τεγετις, aut, quod vero similius, σεγετή, τεγετή, ex prima declinatione in tertiam traducta. In

ES, ITIS rerum sunt nomina, ut ames, cespes, cetera, inter quae tudes, quum generis testimonio destituatur, masculini esse propter similia credimus. Alia personarum nomina ipsa significatione masculina sunt vel communia genere. Ab nominibus in es, itis specie magis, quam re differre, quae sunt in ies, ietis (◡◡◡), supra demonstravimus. Masculina esse pronuntiando, quae in

EX, ICIS exeunt, recentiores grammatici veteres secuti longam exceptionum pompam summovere. Nam inter triginta illa et novem, quae versiculi memoriales referunt (v. Lang. gramm. p. 22.) septendecim sunt masculina in ex dissyllaba, subtractis iis, quorum ultima syllaba radicalis est, tanquam ex monosyllabis composita, ut aquilex cet. E Schneidero numerus ille aliquot nominibus augeri poterit, et ex eodem cognosci, quae, quum masculina sint, semel aut saepius aut quae apud solos poetas feminino etiam genere inveniantur. Imbrex docet pari auctoritate masculinum et femininum censeri (p. 111.); rumex, plantae nomen, Moreti auctori masculinum esse, aliis femininum fortasse per synesin; ulex, plantae nomen, pro comperto masculinum; frutex omnibus, quos imiteri velis. Relinquuntur solo

Feminino genere probanda: *ilex*, *vitex*, arborum nomina, *carex*, herbae. *Forpex*, *forfex* feminina e forceps corrupta videri supra notatum. *Pellex* respondet Graeco πάλλαξ s. παλλακίς. Vocabula ab exteris allata

detorqueri solent ad similitudinem eorum, quibus adsueti sumus, unde pellex eam formam nactum videtur, ut a pellicere derivatum credas, utique non aliena hujus verbi potestate.

Neutrius generis hic se infert prodigium: *atriplex*, sed ex atriplexum illud mutilatum est, cujus genus retinuit.

Vocali i correptae r consonans minus amat consociari, unde

ER, ERIS genitivo e retinet. Cujus terminationis eorum nominum, quae Graecis in ηϱ respondent, accedentibus, quae e secunda declinatione huc traducta sunt, primam esse notam dixi binas ante exitum consonantes: qua masculina sunt asser, passer et anser, epicoenum masculinum, non excluso feminini generis usu (Schn. p. 7.), imber Graece ὄμβϱος, carcer, gibber, quod masculinum creditur nulla certa auctoritate (Schn. p. 92.), agger, ex ad et ger a gerere compositum, antea fortasse, quam tertiae declinationis fieret, aggerus secundae, intellecto muro, acervo aut simili. Ita cancrus, Graece καϱκίνος, postquam mutatum est in cancer, ri, tertiae quoque declinationis formam recepit cancer, eris, ad morbi maxime denotationem adhibitam, eamque neutrius apud quosdam generis, melioribus tamen masculinam (ibid.). Sic et pro ἕσπεϱος. vesper defectivum, unde ablativus vespere adverbii loco, sed et cum adjectivo numerali primo vespere, ut nomen. Addenda tamen masculinis hominum quaedam nomina simplici c ante terminationem. Falacer, unius e flaminibus appellatio, Luceres, proceres, adjectivis similiora, quam substantivis. Mulciber, dei nomen, alias secundae declinationis, tertiae quoque reperitur. Nihil ad nos aer et aether, Graeca ipsa terminatione, vocali e in ultima syllaba producta.

Alia inveniuntur nomina in

IS, ERIS: cucumis, vomis, cinis, acipensis, etiamsi ad parisyllaborum normam exigantur, masculina: nam inest m vel n; quorum r ante flexionem non nativum, sed euphonicum esse crediderim. Inveniuntur revera cucumis, acipensis parisyllaba. Accedit pulvis, quod a ceteris genitivi in eris nominibus genere non differt; nominativo in er, qui apud Appulejum legitur, obliqui occasionem dare potuerunt. Vomer et vomis pariter probantur. Non satis commode terminationis er, eris alteram is, eris vicariam supra me dixisse fateor, quum in his genitivus eris parisyllabi potius vicarius esse videatur.

Masculini generis ea quoque, quam ad pleniorum ordinem refero,

TER, TERIS, Graece τὴϱ, τῆϱος, in paucis τέϱος. Si non omnium in ter haec est origo, etymologicae rationes in singulis urgeri nequeunt. Recensentur pater, frater, accipiter, venter, uter, later.

Femininum ipsi Caesari et Livio *linter*, quanquam probatis etiam auctoribus masculinum. Plene exceptum necessario *mater*. Accedit

Neutrum *spinther*, spreta tum analogiae conditione, tum derivationis, quae non a σπινθὴρ repetenda est, quanquam et sic masculinum esse debebat, sed a σφιγκτὴρ transposita adspiratione.

Ut pateat, binarum consonantium notam neutrorum similium interventu non confundi, hujus etiam generis, quae in

ER, ERIS inveniuntur, hoc statim loco adjungam. Priscianus, si tertiae sint declinationis, inquit, in er desinentia, b vel u loco consonantis quidem antecedente (de v semivocali loquitur), neutra sunt, ut tuber (– ᴗ 1, Geschwulst, 2, Morchel) suber, cadaver, uber. Terrae quoque foetus si sint, ut siler, papaver, laser, cicer, siser. Addimus suber; acer exclusit Priscianus, tanquam femininum, quum neutrum genus in hoc arboris nomine tueantur scriptores. Recte monet de terrae foetibus, et intelligitur, hujus significationis nomina non ad ηρ, sed ad αρ referenda esse, vel ut uber ad οὖθαρ, aut ad ερι Graecorum, ut piper, πέπερι, zingiber, apud ipsos Latinos alias integra forma zingiberi vel zimpiberi. Ceterum notam ab una tantum ante er consonante ductam non esse falsam, exempla allata docent, non excepto iter, in quo respiciendum ad vetustum nominativum itiner, a quo obliqui pendent. Ne Elaver quidem et Iader, quibus addendum videtur Tuder, fluviorum nomina, neque Tuder oppidi nomen scriptores neutro genere eximere voluerunt (Schn. p. 91.).

Feminina tamen *laver* herbae nomen, et *tuber* (ᴗ ᴗ) arboris. Siser, quum neutrum sit, Plinius tamen plurali numero tres *siseres* scribit, quem pluralem Schneiderus p. 91. ad femininum genus refert.

Masculinum *tuber* fructus arboris cognominis.

Unum superest substantivum in er natura quidem cogente femininum, sed jure quoque suo ab illis, quae ob binas consonantes masculina, ob simplicem feminina pronuntiavimus, diversum, tanquam propriae cujusdam terminationis dissyllabae

ier, *ieris*, mulier.

Jam quae in

EN, INIS, desinunt, comparo cum Graecis in ήν, ῆνος vel ένος. Hujus terminationis duo sunt masculina: flamen et pecten, quibus Charisio teste addi potest turben, si non depravatum, obsoletum certe. Schn. p. 130. Latet en nominativi sub alia forma in duobus masculinis in

IS, INIS, sanguis et pollis, quae comparare malueris cum Graecis in ίς, ῖνος, nisi genus scrupulum injiciat, quod in his femininum esse solet. Vestigia

4*

sane generis feminini apparent apud Charisium, qui nominativum, quem alii pollen faciunt, pollis esse et femininum hoc nomen esse affirmat (Schn. p. 455.), et apud Serenum Sammonicum, qui scribit madida polline, quanquam viris doctis ea lectio minus placuit. Priscianus Probum et Caesarem pollen scripsisse testatur genere neutro. Sed usitatus est accusativus pollinem, quo nominativum pollen quod excludi putat Schneiderus, miror, quum pecten et flamen similes dent accusativos, n autem in obliquis esse nequeat, nisi fuerit et in nominativo. Utrumque probari posse puto, pollen, acc. pollinem, et pollis, in quo assumto s mobili n exciderit, atque si subest terminatio ινς, quae etiam apud Graecos in ιν et ις transiit, generis antea feminini in masculinum mutatio potuit accidere. Haec eadem de altero sanguis simul dicta videri possint, sed de hoc paulo post videbimus. Nam ad pleniorem prius

MEN, MINIS, Graece μα, ματος, attendendum, quam reliqua expedire possimus. A qua flamen, sacerdotis nomen, excipi nego, nam men, minis plenior non est personarum, sed verbalium, effectum indicantium; in illo vero nomine m aut radicis esse puto, aut si terminationis cujusdam est, comparanda ea est cum Graeca μην in ποιμήν. Quaecunque vero in men exeuntia non personarum sunt nomina, id est, praeter flamen omnia, verbalia putanda sunt, etsi verbum ignoretur. Nam quorundam verba deperdita sunt, ut exemplo est omen, quod fortasse est ab ὄπω, cerno, specto, unde Latinum opto, nos: ich ersehe mir, ut videndi vocabulum est in simili exspecto, cognatae potestatis. Conjicio igitur omen esse opimen. Graecorum ὄμμα naturam significationis mutavit, sicut Latinorum visus, quod visionis quum deberet esse objectum, instrumentum est. Prorsus ejusdem naturae, cujus terminatio men, est

VEN, VINIS in unguen, quod etiam porrigitur in unguentum, sicut segmen in segmentum, cognomen in cognomentum. Itaque dictum puto vel pro unguimen, elisa syllaba im, vel pro ungmen, mollito m in semivocalem. Inguen quidam esse putant Graecum ἔγκυον, alii pro ingen dictum a verbo genere, unde genui, genitum, ipso superstite apud Lucretium 3, 798. Sed ingen per se nihil est, et priusquam devenias ad inguen, ingenimen cogitandum. Tertium prorsus simile antecedente n gutturalem et sequente ven est sanguen, neutrum et ipsum (v. Scheller.). Ne hic quidem omnino negligendam esse reor Charisii auctoritatem, qui sanguis parisyllabum fuisse prodit. Quod si fuit, forma et genere utriusque vocabuli sanguis et sanguen confusis, illud ab hoc flexionem, hoc ab illo genus, quod accusativum sanguinem gigneret, videtur recepisse. Sed in his pleraque incerta esse ultro concedo; quod ipsum genus attinet, res eo redit,

nomina in en, inis et is, inis simplicis terminationis masculina esse, in men, minis, ven, vinis plenioris neutra.

Neutrum tamen in forma ceteris dissimili *gluten,* ceterum et hoc ea significationis natura, ut glutimen antea fuisse suspiceris, si modo t radicis esse ex Graecis vocabulis γλία, κόλλα, κολλάω intelligeretur.

Ad reg. VII. de declinatione quarta.

Character vocalis, qui apud Graecos conspicitur in terminationibus ις et ι, υς et υ, apud Latinos in is et e transiit, et in us et u, quae nomina dicuntur quartae declinationis. Nomina in

US, genitivo US ex uis contracto plura sunt feminina quam masculina: acus (pro acere etiam semel apud Columellam Schn. p. 321.) anus, colus, domus, manus, nurus, penus, porticus, socrus, tribus, pluralia idus, quinquatrus et similia quaedam ad dierum rationes pertinentia; accedunt arborum nomina complura, ex quibus quercus huic declinationi ita assignatur, ut improbetur altera; novem alia affert Schneiderus p. 471., solutae orationis scriptoribus minus, quam poetis consueta, et his ipsis iis tantum casibus, qui in us aut u exeunt. Fici tamen et lauri nominum hoc modo flexorum complura exempla e prosa oratione ipse Schneiderus affert p. 337. et 471. sq.

Masculina ad illorum numerum satis multa: *arcus, currus, gradus, lacus, sinus, specus, tonitrus.* — Sed ingenti masculinorum copia quarta declinatio augetur ex terminatione pleniore

TUS, TUS. Cujus quorum in ipsa radice t consonans est, ea alterum t terminationis poscere videntur. Metus, impetus verbalia quidem sunt a metuere, impetere, sed eodem modo, quo currus a currere, domus Graece δόμος a δέμειν, gradus a gradi. Ut similia illa essent participialibus in tus, ut motus, appetitus, debebant esse metutus, impetitus. Metus igitur quo minus masculinum sit, terminatio non impedit quidem, nam currus quoque et gradus masculina, sed ut sint, non cogit; ac revera metus femininum apud Ennium reperitur. Schn. p. 324. Quod quum esse desierit, in omnibus t consonans generis ratione terminationis particula masculinorumque nota censenda est, atque ad quod verbum quodque referatur, sive manifestum sit, ut in ductus, cursus, nexus, sive obscurum, ut in portus, fastus, vultus, ritus, perinde habendum est. Segregandum a verbalibus unum noctus, quod etsi Cato scribit sereno noctu Schn. p. 324., aliis tamen feminino genere effertur: concubia noctu, futura noctu, sed obsolevit, solo ablativo noctu adverbii loco relicto. Augetur numerus horum masculinorum ex illis, quae tanquam a verbis primae conjugationis formata sunt, deponentibus maxime, quae hoc habent, ut vitae quandam conditionem desi-

gnent, quum verba ipsa desiderentur: nam nomina quidem sunt consulatus, tribunatus, sed consulor, tribunor, quae Graecis ὑπατεύω, δημαρχέω respondeant, verba non sunt. A philosophor contra, poetor, parasitor nulla illis, quae demonstravi, nomina similia sunt formata. Alteram quartae declinationis terminationem ad neutra remittimus.

Ad reg. VIII., IX., X. de neutris et de monosyllabis characteris liquidi.

Omne nomen, quod characterem habet vel vocalem, vel consonantem mutam accedente s mobili sexuale est, si botanicorum recentiorum vocabulo uti licet, quorum in generibus dignoscendis industriam imitari studui. In his igitur sexualibus spectatur ante s mobile vocalis aut ipsa characteristica, aut cum charactere conjuncta, quae sit, et cujus quantitatis atque ita discernitur genus aut masculinum, aut femininum. Sin autem s mobile abest, nihil refert, quae consonantem mutam praecedat vocalis: non sexualia sunt nomina, id est, neutrius sunt generis; quare nullas in tabulam retuli in mutam s mobili carentem terminationes *ec* aut *ut:* nam in nominibus halec et caput cum compositis, quae una reperiuntur hujus generis dissyllaba, sola muta, seu potius sibilantis post mutam absentia pro terminatione est. Nomina barbara eademque propria hominum vel locorum non moror, quorum genus in significatione positum est. Notandum tamen, quod ad liquidum maxime characterem pertinet, non raro in oppidorum nomina barbara Latinae neutrius generis terminationi similia hoc genus translatum esse, quod idem cadere in fluviorum nomina Elaver, Iader, Tader supra diximus. Adeatur de illis Schneiderus p. 129—156. Genus autem neutrum sedem praecipuam habet in vocali terminativa vel e et u nuda, vel in correpta quacunque adsciscente r aut s, quod flexione addita in r transit, salvo discrimine nominum in e, quae supra profligavimus. Ceteras genitivorum in ris terminationes hic propono:

US, ERIS, Graece ος, εος characteris vocalis.

US, ORIS, terminatio cum antecedente cognata.

Masc. *lepus*, Graece λαγὸς secundae declinationis.

OR, ORIS, v. Schneideri annotationem de cognatione inter or, ur, us p. 90.

Fem. *arbor*.

UR, URIS. Schn. p. 135.

Masc. *vultur*, per apocopen ex vulturis, *turtur*, *astur*, animalium nomina, et *furfur*.

AR, ARIS. Schn. p. 133.

Masc. *salar*, piscis nomen. — Neutra parisyllaba in

E, IS pauca duarum sunt syllabarum: mare, rete. De cepe v. Schn. p. 366, de Caere p. 447. Praeter conclave, insigne, praesepe et quicquid simile, multa alia trium quattuorve syllabarum nata sunt ex adjectivis, quae pleraque interciderunt. Ovilis, e adjectivum superest; bovile, equile, cubile, sedile substantiva veterum adjectivorum solae reliquiae. Sed fieri potuit, ut substantiva formarentur tanquam ex adjectivis ad aliorum similitudinem. Non pauca sunt in ale et are, alia integra, ut altare, tibiale; alia in

AL, ALIS (◡, – ◡) et

AR, ARIS (◡, – ◡), post apocopen factam correpta vocali a nominativi, ut animal, calcar; alia utraque forma, tum integra, tum mutila probata, ut penetrale et penetral, laqueare et laquear. Rara et in his adjectiva cum substantivis simul vigentia, iis praesertim, quae in aris exirent, saepius cum secundae declinationis forma, quae est arius, commutatis. Vectigalis, e et vectigal pariter usitata. Altera vocalis nominum charasteristica est

U, genitivo aut ex uis in US contracto (v. Schn.) aut ceteris obliquis aequato, ut solum U remaneret. Nominativum ex *ue* contractum crederes, quum Graecorum υ correptum sit: sed Latini contractione facta, quid interesset inter casus impares et pares obliti, hos una cum illis produxerunt; memoria tamen aliqua nativae quantitatis haesisse videtur Romanis: nam grammatici complures nominativum et accusativum corripiendos affirmant, aliis, inter hos Prisciano, contradicentibus (Schn. p. 525.), ipsisque poetis eos producentibus; quanquam Schneiderus nullam extra caesuram productae vocalis exemplum affert. Iidem tanquam perturbatae declinationis sensim pertaesi in paucis nominibus eam retinuerunt, cornu, genu, veru, in ceterorum locum nunc similibus contractae flexionis masculinis substitutis, nunc aliarum declinationum ope requisita.

Pertractatis plus unius syllabae nominum terminationibus in modica monosyllaborum liquidi maxime characteris messe (nam et alia quaedam accedent) exiguus labor superest. Horum igitur haec sunt generis discrimina.

Masculina sunt, quibus n liquida est character: ren, splen et composita a cano, ut oscen, tibicen.

Quorum r liquida, in obliquis certe casibus reperta, est characteristica, si naturarum animantium sunt nomina, vel masculina sunt, lar, mas, mus, glis, vel communia, fur, par, vocali producta, id est, conjux; feminini vero generis glos.

Cetera sive r sive l character est, si vocalis o inest, masculina sunt, si alia, neutra. Itaque masculina flos, mos, ros, sol; neutra far, par, id est, junctum e duobus, vocali correpta, aes, crus, jus, pus, rus, tus, mel, fel, atque etiam hir, obsoletum, quanquam est a Graeco χείρ.

Neutrum pro masculino *os, oris.*

Masculinum potius, quam neutrum *sal*, in plurali numero neutro genere prorsus excluso, quanquam apud recentiores medicos et physicos salia pluralis increbuit.

Neutra praeterea, quae in s immobile exeunt, id est, quod in imparibus remanet; os, ossis, vas, vasis. Addimus fas, cujus ultima litera si non natura est immobilis, non movetur certe, nomine casibus imparibus carente.

Masculinum tamen *as, assis*, dissyllabi masculini truncus, cum composito *bes*, i. e. duessis.

Accedunt, quae mutam ante flexionis syllabam habent, nominativo s mobili carente: cor, cord-is, Graece καρδ-ία, lac, lact-is, Graece γάλα pro γαλακτ.

A d d e n d a.

Quantumvis cavissem, ne quam terminationem omitterem, commodum incidi in Graecam non speratam

ΩΡ, (ΩΡΟΣ), cujus est κέλωρ. Ut in una voce resideat terminatio, nihilo minus pars est linguae; uncis tamen inclusam, ob genitivum auctoritate carentem, quem adscripsi, qualem fuisse spoponderim, in tabulam retuli. Vid. Scapulae et Schneideri lexica. Κέλωρ, notione subjecta vocis, ab hoc loco alienum, quippe non potest non esse neutrius generis, forma ex αορ vel οαρ contracta; altera filii significatio nomen offert, quale desiderabam, terminationis natura productae masculinum.

Sed et Latinum substantivum inveni in

AS, (ATIS), satias, cujus reliquiae reperiuntur apud priscos satiatem et satiate, nominativus apud Livium etiam et Tacitum Schn. p. 461. Quod genitivus non legitur, nostra nihil refert, quum alii obliqui ejus sint loco: sed hoc vocabulum vix aliud quid esse videtur, quam ipsum satietas, pronuntiatione correptum: etsi aliter fieri nequaquam potuisse quis contendat? Itaque et hanc terminationem, ceterum lacunae explendae opportunam, uncis includendam putavi.

Sic tandem defunctus sum hac terminationum et generum recensione, cujus quos nactus ero arbitros, rogo, ut offendi se nolint notissimarum rerum mentione, quam cum reliquis nexus exigere videbatur. Quod si assecutus fuero, ut quas proposui de genere praecipiendi regulas et cautiones, aditu dignentur in grammaticorum libros, laborem meum in re tenui fructum quendam auguror perennem esse habiturum; sin minus, spero tamen fore, ut, quae in multiplici terminationum inter se comparatione observasse videor, merae nugae esse non videantur.

TERMINATIONES
TERTIAE DECLINATIONIS GRAECAE PLUS UNIUS SYLLABAE SUBSTANTIVORUM.

VOCALES Α Η Ω.

Mascul.	ης, ηος, εος	ης, ητος	ηξ, ηκος	ην, ηνος	
		της, τητος f.			
			αξ, ακος –υ		
	ως, ωος	ως, ωτος	ωψ, ωπος	ων, ωνος	(ωρ, ωρος)
				ων, ονος	τωρ, τορος
Mascul.	εύς, ῆος (έως)	ής, ῆτος		ήν, ῆνος	ήρ, ῆρος
		τής, τῆτος f.			τήρ, τῆρος
				ήν, ένος	ήρ, έρος
				άν, ᾶνος	
		ώς, ῶτος		ών, ῶνος	
Femin.	ώς, όος			ών, όνος	
	ώ, όος				

VOCALES Α´ Ε Ο.

Mascul.			ʹαξ, ακος		
			αψ, απος		
			οψ, οπος		
		αρ, αρτος f.	αξ, ακτος	(αντς) αντος	
				(εντς) εντος	
				(οντς) οντος	
Femin.			ˉαξ, ακος		
			αξ, αγος		
			αγξ, αγγος		
		άς, άδος		(άντς) άντος m.	
Neutr.	ας, αος (εος)	ας, ατος			αρ, αρος
		αρ, ατος			ορ, ορος
		μα, ματος	(α, ακτος)		

VOCALES Ι ET Υ.

Femin.		ις, ιτος	ιξ, ικος		
	ις, ιος (εως)	ις, ιδος	ιγξ, ιγγος		
		ίς, ίδος			
		ίς, ῖδος		ί(ν)ς, ῖνος	
			ιξ, ικος –υ		
			ιξ, ιγος –υ		
		ις, ιθος –υ	ιξ, ιχος –υ	ιν(θ)ς, ινθος	
			υξ, υκος		υς (υρ) υρος m.
			υξ, υκος –υ m.		
	υς, υος (εως) f. et m.		υξ, υγος		
			υγξ, υγγος		
	ύς, ύος	ύς, ύδος			
			υξ, υγος –υ m.	υν, υνος –υm.	
		ύς, ῦδος			
		υς, υθος	υξ, υχος m.	υν(θ)ς, υνθος m.	
		υς, υθος –υ			
Neutr.	ι, ιος (εος)	ι, ιτος	(Terminationes contractione formatae ab hac tabula sunt exclusae.)		
	υ, υος (εος)	υ, ατος			

TERMINATIONES
TERTIAE DECLINATIONIS LATINAE PLUS UNIUS SYLLABAE SUBSTANTIVORUM.

VOCALES E I U A PRODUCTAE.

Femin.	es, is	es, edis	ex, ecis	es, eris ◡◡	en, enis m.
		es, etis	ix, icis		
		(*ies, ietis* ◡◡) m.	*trix, tricis*		
		us, udis	ux, ucis	us, uris	
		us, utis			
		(as, atis)	ax, acis		
		tas, tatis			

VOCALIS O NOMINATIVO PRODUCTA AUT ANCEPS.

Mascul.		os, odis	(ox, ocis)	os, oris	o, onis
		os, otis		or, oris	
				tor, toris	
					o, onis ◡◡
					io, ionis
Femin.					*tio, tionis*
					◡do, donis
					–do, donis
					–go, gonis

VOCALES CORREPTAE.

1) Fem. 2) Masc.	1) 2) is, is m. f.	1) is, idis	2) ix, icis	il, ilis	
	us, (uis) ûs	us, udis	(ux, ucis)	ul, ulis	
		as, atis			
		es, etis			
Mascul.		es, itis	ex, icis	er, eris m.	en, inis
				is, eris	is, inis
	tus, (tuis) tûs			*ter, teris*	*men, minis* n.
					ven, vinis n.
Neutr.	e, is			er, eris n.	
	ar			ar, aris	
	al			or, oris	
				us, oris	
	u, (uis) û(s)			us, eris	

NACHRICHTEN

über das Dom-Gymnasium zu Merseburg von Ostern 1825 bis Ostern 1826.

A. Ueber Lehrplan und Lehrer.

In der ersten Classe besorgten 5 Lehrer den Unterricht in folgenden wöchentlichen Lectionen:
